exurgat, hic nidum collocare suum, isthic suam exercere auda-
ciam*, ostentare poām; nec ipsa sacerrima Monasteriorum
perrumpere claustra reformidet, paucis rem detego à capite
annon subtilissimas Apellis, Zeuxisque picturas absente spa-
rio pulvis offuscat? Vestimenta purpurea licet, Sertoriana, aut
Cleopatrina, si in abstrusa cistarum caligine prope suffocentur
tinearum domicilium efficiuntur. Aurea, argenteave massa
etsi assiduo malleorum ictu, crebra liquefactione splendido adm[odum]
iubare vestiatur, nisi tamen saepius ad eandem reducatur in-
cudem, sordescere videbitur. Ferro quid durius? quid ferri
incredibili resistentia firmius? quod quod ferro, chalybique ob-
stare, pedemque conferre audeat? attamen si negligatur rubigo
consumit. Sequimini me obsecro AA. si non pedibus, saltem
mentibus, in Hortum amoenissimum, in Hortos Babylonios
in campos Elysios, in locum omni pratorum, Hortorumque
luxurie abundantem, oculos hic pascite, exporrigite, ex-
acuite acies animorum, considerate omnia, huc n. totius
Orbis delicia translata sunt, huc quicquid usquam gra-
tum aspectu, dulce odoratu, nobile tactu, quicquid decorum
insolens, singulare, hoc uno in Horto servatur. Aspicietis
hinc vernantem undique frugiferarum arborum copiam,
fragrantissimi Balsami arbusta, nobilissimum lacrymam
Balsamum: illinc protuberantia Favoniorum flabellis ven-
tilari arborum folicula, istinc luxuriantia vitium bra-
chia ulmis inserpere. Ecce ut rubicundis undique spina rosis
ardeant, ut fulgurantes Narcissorum famulae et media nocte
diem accendant. Ecce ut florum quidam simpliciori cultu
tincti, alii in caeruleos, lacteosque, in purpureas alii, alii denique

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 83r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/fr/zbz/D0147/83r)